

rum quod respicit actionem externam et adimpletionem ejus missionis.

Decursu temporum, concurrentibus variis circumstantiis, Ecclesia facta est regnum temporale, societas politica. Narratio rerum gestarum Ecclesiae quatenus est societas politica minus proprie pertinet ad historiam ecclesiasticam strictè sumptam, sed potius ad historiam generalem et civilem. Attamen omnino omitti non debet; caeterum facta plerumque ita intime connectuntur ut in expositione vix separari possint.

Objectum formale historiae ecclesiasticae, sicut et omnis historiae, est ipsa ratio facti, realitas factorum. Historia nihil aliud sibi proponit nisi ut sciatur et narretur utrum et quomodo hoc vel illud actum fuerit. Numerum martyrum, e. g., considerat tam apologeta quam historicus vir. Apologeta ex ingenti martyrum numero validam probationem divinitatis religionis christianae deducere conatur, historicus autem vir nil aliud quacrit nisi veritatem circa hoc factum; quum autem numerum certum assecutus erit et dixerit, munus suum implevit et tacet. Si quid amplius addiderit, non historici, sed apologetae aut philosophi partes agit. Facta tamen non nuda, sed suis vestita causis et consequentiis in ordine factorum considerare debet. Ad ipsum insuper pertinet laudare bona et reprobare mala absque studio partium, et ad hoc generatim sufficit ut narret res prout gestae sunt. Divulgatio enim virtutis retributio est, sceleris autem justa punitio. Propterea solam quidem veritatem, totam vero veritatem dicere debet. (1)

2. UTILITAS. Si fidem habeamus Ciceroni, qui historiam esse "magistram vitae" dicit (2), illa praesertim historia quae vere universalis est amplectiturque omnes populos et omnia saecula, diligentis studii nostri objectum esse debet. Jamvero christiano homini maximeque sacerdoti non licet

(1) "Illud in primis scribentium observetur animo, *primam esse historiae legem, ne quid falsi dicere audeat, deinde, ne quid veri non audeat; ne qua suspicio gratiae sit in scribendo, ne qua simultatis*". Leo XIII, *Epist.*, 18a Aug. 1883, commemorans Cic., *De Orat.*, 2, 15.

(2) Cic., *De Oratore*, 2, 9.